

si primum, ergo erat iam quanta; quare si postea ex eadem parte materiae educeretur noua quantitas, tunc in eadem parte materiae esset penetratio quantitatum, quod implicat naturaliter; si non erat extensa, ergo materia non erat quanta, impossibile autem est naturaliter, quod aliqua materia sit, & non sit quanta: comparatio verò illa de qualitate non valet ex eo, quod qualitates sint capaces intensiois, & remissionis, & de se non sint occupatiuæ loci, quantitas verò non est capax intensiois, & remissionis, estque occupatiua loci, proindeque materia statim atque accipit suam quantitatem, accipit quoque suam extensionem intrinsicam, seu positionem partium extra partes in ordine ad se, quantum est capax recipere: at non sic forma substantialis respectu qualitatis: quia inquam qualitas est intensibilis, & remissibilis, nec importat impenetrabilitatem.

*Instat Fau-
Impugna-
tur.*

Respondet Fauentinus non sequi ex hoc penetrationem, sed tantum quod materia redatur magis extensa, quam antea: at neque hæc responsio satisfacit, nam formalis effectus quantitatis est ponere partes materiae extra partes in ordine ad se, sed ante aduentum nouæ quantitatis iam partes materiae sunt positæ extra partes in ordine ad se, iam enim caput non est brachium, nec brachium pes, ergo adueniens quantitas non magis extenderet partes materiae in ordine ad se, decipiturque Fauentinus in eo, quod videatur confundere extensionem partium materiae in ordine ad se, & in ordine ad locum: certum quidem est, quod per rarefactionem partes materiae fiant magis extensæ in ordine ad locum; quia sunt magis inter se distantes localiter, sed hoc non necessarium infert nouam quantitatem, sed tantum quendam veteris effectum quantitatis, ergo nihil nouæ quantitatis aduenit materiae rarefactæ; quandoquidem nullus nouus formalis, & primarius effectus quantitatis de nouo aduenit, cum materia æquè bene habeat ante rarefactionem partes extensas in ordine ad se, quam post rarefactionem.

*Prob. tertio
resoluitur.*

Tertio probatur resolutio: Si in rarefactione producatur noua quantitas, rarefiant species pretiosi sanguinis in Eucharistia, per te noua produceretur quantitas: quæro: aut educetur de potentia alicuius subiecti, vel non: si non, ergo ab agente naturali ipsa creabitur, quod implicat. Si educatur de potentia alicuius subiecti, assigna mihi illud subiectum; non enim est ipse sanguis Christi, nec materia vini; quia desit: si dicas esse veterem quantitatem, ut videtur respondere Henricus de Gandauo, in isto, ergo quantitas educetur de quantitate, & per consequens subiectabitur in veteri quantitate; quia accidens subiectatur in eo, ex cuius potentia educitur, sicque idem specie accidens subiectabitur in accidente eodem, in specie, quod est absurdum. Deinde desit penetrare; nam noua producta quantitas esset in veteri, non posset autem esse in illa, nisi eam penetrando.

*Quid rari-
fatio?*

Superest ergo, ut dicamus rarefactionem nihil aliud esse, quam maiorem distantiam partium quantitatis inter sese, condensationem verò nihil aliud esse, quam maiorem indistantiam partium quantitatis inter sese in ordine ad lo-

cum, ita ut quando aqua in vase igni superposito ebullit, maiusque occupat spatium, quam antea per illam ebullitionem nihil quantitatis ipsa aqua acquirat de nouo, sed tantum maiorem partium quantitatis distantiam inter sese in ordine ad locum: quando verò aqua ad suum pristinum reducit statum, nihil quantitatis veteris amittit, sed tantum partes illæ quantitatis, quæ antea erant magis inter se distantes, fiunt remota calefactione inter se indistantes localiter, & hoc vocatur condensatio: illud verò prius rarefactio; quare nec rarefactio, nec condensatio erunt quantitates, sed ad prædicamentum qualitatis spectabunt consequentes ipsam quantitatem, & productæ per agens rarefaciens: sic forma, & figura sequuntur quantitatem, ad prædicamentum tamen qualitatis spectant.

Obijcit Fauentinus: Noua extensio non est sine noua quantitate: sed in rarefactione est noua extensio, ergo noua quantitas.

Respondet ad maiorem, & concedo eam de noua extensione partium in ordine ad se, neque verò de noua extensione partium in ordine ad locum, rarefactio non importat primam, sed tantum secundam illam extensionem.

Instat Fauentinus, & est secunda eius ratio: Magis extensum maiorem habet quantitatem; sic quia lignum bipedale est magis extensum, quam pedale; idè dicitur habere maiorem quantitatem.

Respondet: Magis extensum secundum partes in ordine ad se, concedo: secundum partes in ordine ad locum, nego: lignum verò bipedale habet partes magis extensas, id est plures partes in ordine ad se extensas, & etiam in ordine ad locum; quare & habebit maiorem quantitatem, quam lignum pedale, & maius occupabit spatium: at aqua ebulliens, licet sit magis extensa in ordine ad locum seipsa non ebulliente, attamen non est magis extensa secundum partes in ordine ad se, id est non habet plures partes secundum se spectatas, nec est id ridiculum, quidquid velit Fauentinus, admittere, quod densum pedale habeat plus quantitatis, quam rarum pedale; cum enim habeat plus materiae, habere quoque debet plus quantitatis, quod enim plus habet de subiecto, habere quoque plus debet de accidente, seu passione illius subiecti, ergo quod plus habet materiae, habet quoque plus quantitatis, quæ est affectio materiae.

Obijcit præterea Fauentinus: Partes quantitatis continuæ debent copulari communi termino: at copulari communi, & eodem termino nihil est aliud, quam partes extendi vnam ad alteram secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ergo extensio est quid essentiale quantitati continuæ.

Respondet tamen concedendo hæc omnia de extensione partium in ordine ad se, & negando de extensione in ordine ad locum, cum hæc extensio sit tantummodò accidentalis, & secundarius effectus quantitatis, qui nequidem reperitur in quantitate corporis Christi in Eucharistia existentis, ante rarefactionem ergo materia habet suas partes quantitatiuas æquè extensas in ordine ad se, ac post rarefactionem: quare per rarefactionem nihil omnino intrinsecæ quanti-

*Num. 11.
Adducitur
& soluitur
rationes in
contrarium.
Obijcit prima.
Rij.*

*Instat Fa-
uentinus.*

Rij.

Obijcit secunda.

Rij.